

Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 81

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Roberto abbatii monasterii sancti Albini, quod secus ciuitatem Andegauensem situm est, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni et honestati conuenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum in partiri suffragium. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: in Andegauensi episcopatu Insulam Montis, piscariam de Sorgiis, sanctum Iohannem super Ligerim, Chiriacum, Calciacum, Alodum, Segniacum, Clementiniacum, Campaniacum, Sagiacum, Ladriacum, Balaiacum, Prunarium, Legron(em), Monsteriolum, Charere, Campaniacum, Puciacum cum busco de Malespinet, Castelllicium, Basiligiam, Castrum Gonterii, Lusdum, Valles, Brionum, Cartiniacum, Peregrinam, Ninerlam, Vilam Canis, Campum Boserium, Verneil, Surmagiam, Fissam, Guiziacum, Campum Comborniacum, sanctum Matheum de Treuiis, sanctum Colombam, sanctum Iullianum de Ciuitate, Canberlaicum; in Cenomanensi episcopatu Colommam, sanctum Gallum, Balsigiam, Criptam, Valsigiolam, Luchiacum, Malicornant, sanctum Petrum de Ulmis, Misericordiam, Ligrum, Loconacum, Fraterniacum, Auesiacum, in ciuitate Cenomanensi sanctum Audouenum, sanctum Petrum, Interratum, Fratellum; in Pictauensi episcopatu Maironum, Brusiacum; in Redonensi episcopatu Calumnacum, Cellulam domini Melanii; in Nanetensi episcopatu Sullicium, sanctum Nazarium, sanctum Breuenum, Corset, sanctam Opportunam, Rasleriam et Uldonum. Obeunte uero te nunc eiusdem loci abbate uel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu uiolentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu uel fratrums pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam Prouiderint eligendum. Adicimus etiam, ne pro communi interdicto parochie monasterium uestrum diuino uacet officio, sed potius clausis ianuis et exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa uoce diuina uobis liceat celebrare officia. Preterea libertatem seu immunitatem a nobili uiro Gaufrido Andegauen(si) comite et filiis eius obedientie, uestre de Mairono super prauis et indebitis consuetudinibus eidem loco impositis concessam et scripti sui munimine roboratam uobis auctoritate sedis apostolice confirmamus. Indebitas autem et immoderatas prandiorum exactiones in obedientiis uestris a diocesano episcopo fieri omnimodis prohibemus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere aut aliquibus uexationibus infesta[re], sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura salua sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iusticia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire tentauerit, secundo tertio commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini

redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni
subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi,
quatenus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne
pacis inueniant. Amen.

R. Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss. BV.

Ego Hugo Hostien(sis) episcopus ss.

Ego Aribertus tit. sancte Anastasie presb. card. ss.

Ego Octavianus presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

Ego Henricus presb. card. tit. sanctorum Nerei et Achillei ss.

Ego Ildebrandus sancte Romane ecclesie diac. card. ss.

Ego Otho diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum ss.

Ego Guido diac. card. sancte Marie in porticu ss.

Ego Odo sancte Romane ecclesie diac. card. ss.

Ego Bernardus sancte Romane ecclesie diac. card. ss.

Dat. Albe per manum Bosonis sancte Romane ecclesie scriptoris XVI^o kal. decembris,
indictione X^Va, incarnationis dominice anno Mo. Co. LII^o, pontificatus uero domini
Eugenii pape III anno VIII^o.